



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CCXCV. Kurfürst Friedrich begründet eine Stiftung für die Altaristenbrüderschaft und den Kaland zu Frankfurt, am 17. August 1457.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CCXCIV. Friedrich, Bischof von Lebus, bestätigt den Kalend zu Frankfurt und verschreibt denen, welche an dem Gottesdienst desselben Theil nehmen oder ihm Wohlthaten erweisen, einen Bußerlaß, am 29. März 1457.

Fredericus, dei et apostolice sedis gracia Episcopus ecclesie Lubucensis Publice recognoscimus per presentes, Quod petitionibus fratrum kalendarum Opidi frankenfordensis nostre Dyocesis annuentes vestigiisque predecessorum nostrorum inherentes, fraternitatem predictarum kalendarum et alia inde secuta ac statuta eorum usque in hodiernum diem seruata confirmamus et approbamus ratam atque gratam habentes, eam auctoritate ordinaria approbantes et presentis scripti patrocinio communimus, Mandantes omnibus, quorum interest, quatenus ea statuta huiusque seruata teneant et obseruent. Volentes quoque diuinum cultum non minui, sed augeri, omnibus cristi fidelibus contritis pariter et confessis, qui cum deuotione et humilitate missis, vigiliis et processionibus in dicta fraternitate quocienscunque decantandis et faciendis interfuerint aut vni earum deuote intersint uel pro reparatione ornamentorum dicte fraternitatis manus porrexerint adiutrices, auctoritate omnipotentis dei et beatorum petri et pauli, eius apostolorum, confisi, de iniunctis sibi penitentiis quadraginta dies indulgentiarum in domino misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium etc. Datum Lubus, Anno domini Millefimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, tertia feria post dominicam, qua in Ecclesia dei cantatur letare iherusalem.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 1, 22.

Ann. Gleichlautend ist die Bestätigung

des Bischofes Liborius: Datum in castro nostro Lubus, Anno M^o CCCC^o LXXXV^o, feria secunda post dominicam, qua in ecclesia dei cantatur Exaudi (VIII, 1, 23),

des Bischofes Ludwig: Datum in castro nostro Lubus, Anno M^o CCCC^o LXXXVIII^o sabbato post dominicam Innocentii (VIII, 1, 24), so wie

des Bischofes Dieterich: Datum Lubus castro nostro, Anno M^o CCCC^o XCVIII^o in vigilia Mathei apostoli (VIII, 1, 25).

CCXCV. Kurfürst Friedrich begründet eine Stiftung für die Altaristenbrüderschaft und den Kalend zu Frankfurt, am 17. August 1457.

In nomine domini amen. Euanesceere potest omne negocium solempniter ordinatum, nisi illud firmet tenor immobilis literarum. Hinc est vt de negociis quibulibet pertractandis digne sit scriptura auctentica cum adminiculo testium habenda, nam sicut modernorum conspectibus pertractantur, sic ad futurorum noticiam dirigantur. Nos igitur fridericus, dei gratia Marchio Brandenburgensis, Sacri romani imperii archicamerarius et princeps elector ac burggrauus Nurembergensis etc., Clarescere volumus vniuersis, quorum aspectui hoc scriptum fuerit presentatum, Quod ob honorem et reuerenciam Omnipotentis dei, gloriose genitricis sue virginis marie et omnium Sanctorum, Necnon ob iugem et perhennem Mangnicorum ac Illustrium principum, Marchionum

Brandeborgensium, predecessorum nostrorum clare memorie et successorum nostrorum animarum memoriam pie moti et aliorum, quorum ad hec manus porrexerint adiutrices, in remedium et spem salutis eterne, Necnon pro continuo incremento cultus diuini, in testamentum sempiternum perpetue duraturum libere dedimus, damus et solempni donatione donamus Centum et viginti Sexagenas grossorum in denariis frankenfordensibus currentis monete, octo denarios pro vno grosso computando, ad emendum et comparandum rite et rationabiliter sub reemptionis titulo duodecim sexagenas grossorum similiter currentis monete annuorum reddituum. Ipsique redditus sic deifice et iuste in certis fundis et bonis empti libris consulatus et Scabinorum nostri opidi frankenfordensis nostrorum fidelium vna cum summa capitali tocians quociens opus fuerit volumus inscribi, pro dotacione altaris sub vocabulo et honore sancte et indiuidue trinitatis, beate marie virginis gloriose, beatorum petri et pauli apostolorum, sanctorumque Erasmi, fabiani et Sebastiani martirum, ac sanctarum katherine, barbare et Margarete virginum, necnon beatarum Magdalene et heddwigis electarum et omnium exulum animarum sanctarum, de nouo fundando et locando in loco parrochialis ecclesie beate marie virginis frankenfordensis. In quo quidem altari nostrorum predecessorum dominorum Marchionum brandeborgensium, successorum nostrorum, viuorum et mortuorum, incipientium, promouencium, dirigencium et augmentancium census dicti altaris haberi debet memoria sempiterna, Tali ordine seruato, quod inspectis sedulis oracionum suffragiis nostrorum confratrum deuotorum, altaristarum et fratrum kalendarum in frankenfordis, presencium ac futurorum, quod non in commellationibus gutturosis suas quatuor temporum conuenciones pertractent, sed vigiliis et missis decantandis magis invigilent et ob id conueniant, Volumus ut sex sexagene grossorum dicte monete annui census vna cum augmento et summa capitali in eum erga dictos fratres kalendarum in frankenfordis presentes et futuros post fundacionem et confirmacionem dicti nostri altaris vtique veris nostris coalitaristis permanere debeant, Ita tamen, ut predicti fratres kalendarum in augmentum et non detrimentum suorum beneficiorum absque prestacione subsidii caritatiui Ipsum altare disponere, regere et officiare debeant, Necnon singulis septimanis sex missas in eodem legant, feriis autem secundis, si festum celebrare non impediatur, pro defunctis cum collectis principum defunctorum et deus, cuius misericordie non est numerus, misse peragantur. Aliis vero diebus legi debet missa secundum exigenciam temporis. Necnon ipso die sancti Erasmi missa de festo legi non negligatur, Sic tamen, quod semper in singulis missis collecte pro defunctis principum et deus, cuius misericordie non est numerus, imponantur. Singulis etiam diebus vigilie cum collectis principum defunctorum, deus cuius misericordie non est numerus, et deus fidelium omnium a predictis fratribus missas celebrantibus deuote perficiantur et legantur. In singulis etiam conuencionibus quatuor temporum finitis preuis missis dicti fratres erga predictum altare et feretrum exequias predecessorum et successorum et omnium fratrum nostrorum cum collectis Non intres in Iudicium et sequentibus Responsoris ad hoc deputatis simul et semel legendo et cantando et turibulo ministrando, postea concludendo cum collectis pro principibus deus, cuius misericordie non est numerus, deus venie largitor peragere non obmittant, quo finito cum antyphona Media vita chorum reintrant. In quibus omnibus et singulis predictis dictorum fratrum kalendarum consciencias oneramus. Animaduertentes etiam pias oraciones et suffragia, quas deuoti nostri, dominus Matheus et Martinus conducti drentzik, pro nobis, heredibus et dominis nostris predecessoribus Cuntipotenti (sic) fuderunt et dietenus fundunt necnon deum exorant, Volumus quod alie sex sexagene grossorum annui census predicti sub usufructu ad eorum dumtaxatt vitam subleuare debeant omni impedimento semoto. Iphis vero ab hoc seculo sublatis collacio dictarum sex sexagenarum annuorum reddituum ad nos et he-

redes nostros principes et successores nostros marchiones brandeborgenses etiam in eum permanere non desistant. Et cum alicui persone ydonee post mortem dictorum a nobis et successoribus nostris collate fuerint, Extunc talis ad disponendum et legendum Missas et vigiliis singulis diebus dominicis ad minus perpetuis temporibus sit astrictus, in quibus conscienciam eius oneramus, Ita tamen, quod si talismodi altaris, ita ut prefertur presentatus et ad ipsum institutus, personaliter residere recusauerit, Extunc dicti fratres kalendarum ipsum altare per se disponere, regere et officiare euiternis temporibus debeant, nullo extraneo ad hoc faciendum admisso. Volumus eciam, vt consularius noster in opido nostro franckenford sit cooperator, adiutor et defensor in predictis redditibus emendis et aliis necessariis fiendis vna cum dictis fratribus kalendarum pro temporibus existentibus. Renuntiantes insuper simpliciter libere et liberaliter, quoad dictarum centum cum viginti sexagenarum vna cum censu earundem proprietatem et libertatem omni iuri, actioni, Jurisdictioni, dominio, impetitioni, commodo, fructu et vtilitati nichil penitus in ipsis quocumque censeatur vocabulo nobis retento, que et qui nobis, heredibus et successoribus marchionibus Brandeborgensibus in premillis Centum sexagenis cum viginti et redditibus hactenus competeat aut competere possent aequaliter in futurum. Vt autem hec ordinatio nostra et donatio cercior esse possit ac eo forcius et firmiter obseruetur, presentem literam in perpetuam rei memoriam conscribi et appenditione nostri maioris sigilli ex certa nostra scientia iussimus communiri, presentibus Illustribus principibus, Reuerendo, generosis, magnificis, Nobilibus, spectabilibus, venerandis, strenuis ac validis, nostris consiliariis, continuis commensalibus, familiaribus et fidelibus dilectis, domino videlicet Ottone, duce Stettinensi etc., domino friderico Episcopo lubucensi nostro Cancellario, domino ludwico lantifranco de leutemberg et domino in hals, friderico, Comite de Orlamunde, ludewico, Comite de Ottyngen, Gotfrido, Comite de holloch, Johanne de Torgow domino in Czossen, Bote de ylborg domino in Sonnenwalde, Theoderico de Stechow preposito Brandburgensi, hennyngo Qwaft supremo nostro marschalko, georgio de waldenfels nostre camere magistro, Haffone de bredow nostre conthoralis curie magistro, dionisio de Osten aduocato nostro in Schiuelbeyn, Jeorgio de Stuternheim, Baltezarro de vchtenhagen, Casparo de waldow, Nicolao sparren militibus, Paulo de Cunrstorff terre nostre noue marchie nostro aduocato, Arnolde de Crummensehe, Johanne de kokeritz, Hinrico kracht, Nicolao de Arnym, theoderico de Holtzendorff, Joachim de blankemborch, Ertmanno de lype, Theoderico de rochow, Baltezarro de Slyuen, Johanne de wedel et aliis multis de familia nostra fidedignis. Datum et actum in Castro nostro Colonienfi prope Sprewam situm (sic), quarta feria post festum Assumpcionis marie, Anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo.

Recognovit dominus marchio et per se vidit.

Nach dem Originale des Stadtarchives VIII, 2, 15.